

X - 36.

DE
PHILOSOPHIA
In genere

DIVINIS AVSPICIIS

PRAESIDEQVE

I. PHILIPPO SLEVOGTIO,
D. ET PROF. IVRIS AC PHILOS.

ORDINARIO,

disputabit

SIGISMUNDVS. Kistling/
ZITTAVIA-LVSATVS.

D. XXX DECEMBR. cl. Idc LXXXII.



IENAE

LITTERIS NISIANIS.



INCLYTAE REIPUBLICAE
ZITTAVIENSIS
PROCERIBVS
TOTIQUE AMPLISSIMO ORDINI
VIRIS

Magnificis, nobilissimis,
prudentissimisque,

PATRONIS AC PROMOTORIBVS

HVMILITER COLENDIS

Academici otii

PRIMOS HOSCE FRUCTVS

ET CVM IIS

fese totum

reuerenter dicat consecratque

SIGISMUNDVS KISLING,

ZITTAVIA-LVSATVS.

L39

I N G E N E R E.

7

lius, eoque nec tantam ei curam, quantam animæ impen-
dere debet. Sed quum anima vel triplex sit, vel tribus
saltem facultatibus polleat; in quibus rationalis, quia pecu-
liaris homini, etiam principatum tenet: eiusdem præ reli-
quis habenda cura est. Ratio porro vel in se spectatur, vel
quatenus in aliquid fertur, & appetitus seu voluntatis no-
men accipit. Illic non tantum cognoscit obiecta sua, sed
quidnam appetendum aut fugiendum, simul dictitat, re-
gitque ac luce veluti circumfundit voluntatem, quæ per
se cæca & tenebris obsita est. Hæc ab intellectu collu-
strata dirigit postmodum sensitiuæ animæ appetitum.

9. Cæterum sicuti bonum omne appetitur, & perfe-
ctio sui ipsius maximum bonorum est: ita & homo ean-
dem serio expetit, non qua essentiam quidem, sed quantum
ad accidentia. Inter hæc sunt operationes animæ, in quan-
tum subsunt arbitrio humano: quarum in eo posita per-
fectio, si conueniant singulæ facultati principali, rationi
puta, quæ lux & norma est liberarum actionum. Quanti
facienda sit harmonia illa operationum animæ, & appeti-
tus tum rationalis tum sensitiui, cum ratione in se specta-
ta; discere licet ex turbis ac malis, agmine quasi nascenti-
bus, quoties principem illum vitæ humanæ ducem con-
temnimus, aut patimur etiam neglectum incultumque tor-
pere. Summam ex aduerso animi tranquillitatem, & vo-
luptatem incredibilem, ex cultu rationis, & cæterarum
facultatum cum illis consensu, progigni, docuere omnis
æui sapientissimi viri, qui hoc vno beati reliquis mortalium
bonis facile caruere. Hæc enim, quia nec nostri arbitrii,
& fluxa ac fragilia sunt, comparari cum virtute (quo vo-
cabulo designatur harmonia iam laudata) non merentur;
vt quæ sola clara æternaque habetur. Et quis inueniat mihi
bonum vllum virtute præstantius, quia & cognoscimus Deum,
& imitamur, ac suo modo referimus? Deo enim similes nos
reddit *δικαιοσύνη καὶ ὁσιότης κατὰ φρονήσεως*, iustitia & sanctitas, cum
sapientia coniuncta, vt diuinus Plato in Theæteto scribit. Qui
in

in duobus hisce, cognitione & conformatione Dei, summam hominis perfectionem posuit ac felicitatem.

10. Operationes animæ rationalis, ut has amplius expendamus, duplicis sunt generis. Vel enim contemplatur aliquid cognoscitque, componenda componens, & diuidenda diuidens; vel dicitur etiam aliquid atque imperat. Quod imperium rursus aut ad ea pertinet, quæ agenda, aut ad efficienda. Vnaquæque harum operationum perfecta, dicenda erit, si conueniat rationi in se spectatæ, sique cognoscamus objecta vere, qualia sunt; si iubeat ratio vere, agenda, & fugienda prohibeat; si tandem in efficiendis præstet idem, ac veros effectiōnis doceat modos. Cui imperio si promte porro obsequatur voluntas; si & sensitivus appetitus ita adsuæfactus, ut voluntati non reluētur: & illa & hic ad perfectionem debitam peruenere. Quoniam vero ex objectis animæ sensitivæ ac rationalis quædam contemplari tantum possumus: quantum ad illa summum bonum hominis consistet in perfecta cognitione & scientia. In reliquis ipsa actio aut effectio, rationi rectæ conformis, hominem reddet perfectum. Hinc triplici ratione homo dici potest felix: qua contemplationem, actionem atque effectiōnem. Et contemplatio perfecta, est bonum intellectus theoretici; actio perfecta, intellectus practici; effectio perfecta, effectiui. Quærere autem perfectionem hanc, siue summum hominis bonum, nihil est aliud quam philosophari. Quisquis eam obtinuit, sapiens appellatur.

Sid. Manut. ad Cic. Epist. fam. 1, 10.

11. Philosophia ipsa pro diuersitate objectorum dispescitur in diuinam & humanam, ut supra monuimus: illaque, quoniam objecta sua humano arbitrio non subiacent, sed soli patent contemplationi, contemplatiua, seu theoretica appellatur. Alteram vulgo actiuam seu practicam dicimus. Quæ vel stricto significato, & κατ' ἐξοχήν, accipitur, vel laxiore, quatenus etiam comprehendit efficienda. Nam strictè, aut potius proprie, neque actionem sub effectiōne, neque hanc sub illa contineri, docuit Aristoteles

I N G E N E R E.

Aristoteles lib. 6 Eth. ad Nicom. cap. 4. ἔτε γὰρ ἡ προαξις, inquit, ποίησις ἢ τε ἡ ποίησις, προαξις ὅστις.

12. Qua ratione porro tum diuina tum humana philosophia dispescatur, ex sequentibus patebit. Quidquid intellectus operando componit aut diuidit, vel primum principium est, vel principiatum siue conclusio. Principia prima, vel sunt theoretica, vel practica proprie dicta, vel effectiua. In omnibus versatur habitus, quem Aristoteles ipso *intellectus* seu *intelligentie* vocabulo designauit. Conclusiones aut de rebus diuinis aut de humanis agunt: & ex illis quædam aut tangunt ipsum Deum, nobilissimum eorum quæ contemplari possumus, summumque & architectonicum finem vniuersæ philosophiæ; nec non principia reliquarum scientiarum; aut ad res creatas pertinent. Habitus in prioris generis conclusionibus occupatus, vocatur sapientia, theologia naturalis, & metaphysica. Quæ propterea reliquis scientiis, physica & mathematicis disciplinis, longe est potior, quod hæ obiecta minoris nobilitatis habent, quodque tendunt ad cognitionem sublimiorem, ipsius nempe summi numinis. Hinc Aristoteli metaphysica nunc simpliciter *philosophia*, nunc *philosophia prima* vocatur, καὶ μόνη ἐλευθέρα τῶν ὀπισθημῶν. μόνη γὰρ αὕτη, inquit, lib. 1. Metaph. cap. 2, αὐτῆς ἐνεκά ὅστις.

13. Conclusiones ad res humanas pertinentes vel practicae sunt, vel respiciunt effectiorem. Habitus mentis, in illis occupatus, *prudentia* vocatur, & considerat hominem, vel ratione sui, vel ratione alterius cum quo societatem colit. Societas illa aut est hominis cum Deo, aut hominis cum homine. De officiis ac iuribus prioris societatis theologia naturalis, & quidem practica agit: de homine in se, quantum ad actiones suas, perficiendo, & societatis humanæ præcepta tradit ethica, seu doctrina moralis. Ea sola de societate hominis cum homine in vniuersum agit: vt falsi sint, qui doctrinam illam politicæ attribuunt, quæ considerat hominem, vt in ciuitate versatur. Aliunde igitur petat oportet principia, quæ ex societate in genere fluunt.

B

unt.

unt. Hæc autem sola suppetabit moralis philosophia. Quæ dum ostendit, sine societate perfici hominem non posse: docet etiam, quali societate opus, & in quantum civilis illa aut necessaria aut utilis sit. Ex iisdem elucebit, opinor, quam recte Aristoteles, eumque sequuti interpretes, in ethicis omiserint doctrinam de religione ac pietate. Neque enim de societate hominis cum Deo, & officiis inde oriundis, sed de humana tantum agit. Quare & nos mutamus sententiam; quibus alias doctrina de religione in ethicis parum recte omitti videbatur.

14. Humana societas porro vel est domestica vel civilis. In illa occupata est œconomica, docens tum officia mariti & vxoris, parentum ac liberorum, heri ac serui; tum quomodo paterfamilias singulos atque vniuersos sibi subiectos, prudenter debeat regere. Civilem societatem & instituere recte, & administrare ac conseruare politica docet, vocatis in auxilium præceptis ethicis atque œconomicis, nec non quæ theologia naturalis de officiis erga Deum tradit: vt ad eorum normam concinnet leges suas, tanquam medium obtinendæ felicitatis indirectum & accidentarium. Præcepta naturalia de religione ac pietate accersit ex theologia: cætera de officiis hominis erga hominem, deque iuribus humanæ societatis in genere, ex morali doctrina, & quæ ad domesticam societatem spectant, ex œconomica repetit. Neutiquam vero ipsius est, docere eadem & in modum scientiæ tractare. Multo minus civilis iuris interpreti per se idem licebit: ad quem naturalia iura non pertinent, nisi quatenus auctoritate legislatoris firmata, explicata, & vel porrecta vel restricta, habitum quendam civilem accipere. Ex his vltius apparet, rectius ethicam philosophiæ practicæ partem communem seu generalem, quam disciplinam specie a reliquis distinctam haberi. Nam societas in vniuersum non est distincta specie ab œconomica ac politica, eoque nec officia & iura illius. Multo minus ita necessaria est ad perfectionem hominis societas civilis, vt hinc doctrina de societate in genere ab illa pendeat, partemque eius tantum constituat *priorem*. Nec tamen

men

I N G E N E R E.

men penitus erroris arguerim dissentientes. Nam sicuti prudentia in vniuersum quærit perfectionem hominis per actiones liberas, rationi rectæ conformes: ita perfectio illa facilius obtinetur in perfecta societate, qualis est ciuilis. Ergo & huc etiam potissimum respiciet; non ita tamen ut solum de fine hominis agat ethica, politica de mediis. Conclusiones, quæ ad effectum referuntur, tractant artes; medicina, logica, rhetorica: ad dignitatem prudentiæ propterea non accedentes, quia instrumenti loco sunt reliquis habitibus.

15. Philosophia solius Dei beneficium est, qui vires naturæ sufficientes impertitur, ut accedente industria, usu atque exercitatione, cognoscere ac tradere valeamus, quæ rei cuiusque natura ac vis, quidque in vita sectandum aut fugiendum sit. Inde nata doctrina omnis ac præcepta philosophiæ. Præstantissimi autem philosophi haud dubie, primi mortalium fuere, tum quod nascente adhuc orbe viribus ingenii maxime pollerent, tum quod vitæ spatium, per longissima sæcula porrecto, innumeris experimentis possent proficere. Certe solida struxere fundamenta, quibus posterior ætas facilius imponere ædificia sua, ornatumque addere potuit. Ac falso Græci semet auctores philosophiæ iactitant, ut quam ab Aegyptiis atque Hebræis accepere. De illis non dubitatur. Hebræos Græcorum magistros fuisse, Aristotelis exemplum comprobatur: quem multa didicisse ex Iudæo quodam; nec minus Theophrastum Hebræorum laudauisse philosophiam, eruditi docent ex Eusebio de Præparat. euang. lib. 9, cap. 1 & 3. Pythagoras, Plato, alique, multi familiariter consuetudine Hebræorum usi dicuntur; quin Pythagoram S. Ambrosius affirmat gentem Hebræam ac circumcisum fuisse. De quo tamen quia minus exploratum est, nihil definio. In eo consentiunt plerique, quantumuis Pythagoras ac post eum Plato non peruenerint in terras Iudæorum: extra illas cum iis conuersatos, & ab iisdem eruditos fuisse. Nec promiscue peregrinos ac gentiles omnes submotos ab Hebræorum libris, sed quosdam,

dam, ut vel ex carmine Phocylidis apparet, impune eos trauisse. Videatur Schefferus de Philos. Italica, cap. 4, Petrus Castellanus in Ludo siue Conuiuio Saturnali. Dissentit Marshamus in canone Chronico. Hoc constat ex historia, sapientes Græciæ floruisse demum ætate Iosæ Hebræorum regis, & Tarquinii Prisci regis Romanorum.

16. Ratione auctorum dispescitur philosophia vetus in *Ionicam* & *Italicam*. Illius princeps Thales Milesius: cui ordine succedere Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, & Socrates. Posteriores duo Athenis oriundi fuere, quo Anaxagoras scholam suam primus ex Mileto transtulerat. Socrates relictis rerum naturalium contemplationibus, quia vitæ non æque conducerent, ad explicandam morum & ciuilem doctrinam sese potissimum applicuit. Ex eius schola prodire Academici, quorum princeps Plato fuit; & Peripatetici, qui Aristotelem ducem habuere. *Stoica* etiam philosophia ex Socratica enata fuit, auctore Zenone Cittico. Hæc proxime abest a Christianis dogmatibus, affectibus frantum iniiciens, & quatenus excedunt normam rationis rectæ, prorsus eradicans: imperans contra virtutes, & amorem sapientiæ, contemptis omnibus, quæ animum, ut rem immortalem, solamque appellatione hominis dignam, non iuuant nec perficiunt. In contraria abiit *Epicuri* disciplina, si vulgi sententiam sequimur. Ille enim per scelera sibi nomen quærens, bonos mores penitus exterminatum iuit, sublata Deorum prouidentia & animorum immortalitate: ut præter corporis voluptates nihil superesset expetendum. Mitius tamen sentiunt Seneca, homo Stoicus, cap. 13 de vita beata, & superiore ætate Petrus Gassendus, libro singulari de vita ac moribus Epicuri. Nec patiuntur tot præclaræ eius sententiæ, quibus epistolas suas fere omnes ille e porticu obsignat, ut de ingenio, doctrina moribusque viri tam contemptim iudicemus. *Italica* philosophiæ auctor princepsque Pythagoras Samius fuit, postquam ex Ægypto in patriam reuersus, omnia turbata & a Polycrate oppressam publicam libertatem vidit. Abiens enim in Italiam, regnan-

I N G E N E R E.

13

regnante Tarquinio superbo, vt Cicero auctor est quarto Tuscul. quæst. tanta laude, tantaque auctoritate magnam illam Græciam tenuit, vt nulli alii visi fuerint docti, præterquam Pythagorici.

17. Vfus philosophiæ latisime patet, nec sine illius ope vel theologus quisquam, vel iureconsultus vel medicus perfectus euadet. Vt mera ignorantia crassusque stupor sit hominum, propterea eam vituperantium, quod multis aut vsui nulli aut damno grauissimo fuerit. Quid enim, si non rite, sed perfunctorie ac vix in transitu tractetur? Si cultum ac scientiam eius professus ne vocabula quidem tristissima & vulgatas regulas perspecta habeat? Si peruerse accomodemus philosophica dogmata, verumque vsum, corrumpamus, inopia iudicii, aut animi quoque malignitate? Theologus profecto, nisi ex metaphysica didicerit, quid verum, quid bonum, quid vnum sit; hærebit subinde in sacrarum explicatione litterarum; saltem non accurate satis de singulis disputabit. Idem de reliquis philosophiæ partibus tenendum. Nec singulare duntaxat vocum significationes ex ea petendæ, sed distinctiones etiam, quarum, vsus ac necessitas in cæteris studiis longe maxima sunt. Vtcunque etiam solo ingenio adiutus, hic & illic temet expedias, micabis tamen veluti in tenebris, aduersus hæreticos disputaturus: qui vti ratione potissimum nituntur, & aut peruertunt argutando veras scripturæ sacræ sententias, aut falsis confectariis incautos confundunt: ita nequeunt solide ac feliciter reprimi, si philosophiæ eruditione destituaris. Quare Palladio non male philosophia comparatur, quo amisso hostes longe facilius superiores euadunt. Neque apostolus epistolæ ad Coloss. 2, 8, illius vsum damnat; sed cauere iubet ab abusu, & ab argutiis hominum, ibi ratione certantium, vbi sola fides locum habebat. Exemplum vide sis Actuum apostol. 17, 18. Iubemur Prouerb. 21, 31, cauere nobis a mulierum ac vini illecebris: quis autem inde totum genus mulierum vinique vsum proscribendum contendat. Sic Paullus ad Rom. 1, 22, & 8, 7, Sapientes

B 3

hujus

huius mundi vanos ait factos, & sapientiam carnis inimicitiam esse aduersus Deum; non quod simpliciter falsa & Deo aduersaria sit humana sapientia, sed quatenus in rebus fidei ratio nihil valet, sique illam opponas diuinis dogmatibus ineptiæ, furor, & odium Dei futura est. Si per se, atque in vniuersum erronea Deoque inimica esset; Deus neque omnipotens esset nec bonus, neque honesta sectari, turpia fugere deberemus: quæ omnia tamen ab illa distantur.

18. Fas igitur erit Christiano homini, etiam ex gentilium scriptorum libris sapientiam haurire, exemplo Moysis, Danielis ac Paulli, quorum iste Ægyptios, ille Chaldaeos magistros habuit, hic in poetarum lectione non parum fuit versatus. Lege Daniele 1,4, Actus apostolicos 7,22, & 17,24, nec non 1. Cor. 15,33. Tit. 1,12. Consulendi vero gentiles philosophi tam in morum ac ciuili, quam rerum theoreticarum doctrina, vitatis solum erroribus, & quidquid sanæ rationi ac verbo diuino reclamation. Legamus illos non ut discipuli modo, sed etiam ut censores; monitu apostoli 1. ad Thes. 5, 21, vera bonaque tantummodo excerpentes. Profecto ad emendandam vitam plus interdum roboris habet ethnicorum auctoritas, dum ruborem homini Christianam fidem professo, inque luce veritatis viuenti, incutit, quam testimonia sanctorum patrum aut litterarum quoque diuinarum. Vide Augustini Valerii Rhetor. ecclesiast. 1, 48.

¶ (1) ¶

Adeo innatus est omnibus cognitionis & scientiæ amor, ut ad illam vi rapiatur hominum natura, quamuis nullo proposito emolumento. Ita Cicero lib. 5, de finibus. Cui nequicquam oppones osores atque hostes & eruditionis & hominum eruditione præditorum. Neque enim hi naturam sequuntur: certe non magis, quam qui deserta quærunt, ac ritu ferarum cædibus aliorum satiantur.

¶ (2) ¶

Propterea sollertem atque ad artificia aptum Anaxagoras

naxagoras hominem esse statuit, quia manus haberet: sed rectius Aristoteles, propterea manibus instructum esse dixit hominem, quia sit tam sollers animal. Sic Epicurus, & philosophiæ Epicuræ interpres Lucretius, lib. 4, de Rer. natur. v. 820, & sequ. nihil omnino in corporibus nostris natum affirmavit, ut eo utamur; sed ex eo, quod natum est, procreatum fuisse usum. Non oculos cernendi, non pedes ambulandi, non manus contrectandi causa esse factas. Omnia denique membra ante fuisse, quam eorum usus foret. Quod ut in physicis Epicuri maxime improbabile est: ita ab eo necessario debuit asseri, ne admittere providentiam cogeretur, quæ ex consideratione & usu partium humani corporis, maxime elucet, ut Tanaquillus Faber ad Lucretium monet. *Inde est, inquit, quod dicere soleo, Galeni librum de usu partium ad comparandam Dei, eiusque providentie cognitionem, longe plus prodesse, quam omnes omnium aliorum libros, qui super iis rebus conscripti a veteribus fuerint.* Epicuri opinionem refellit Lactantius libro de Opificio Dei. Stoicis, referente Cicerone libro tertio de Finibus, partes corporis nostri alias statuebant propter usum, ut manus, crura, pedes, alias ad ornatum donatas: ut cauda, pavoni, plumæ versicolores columbis, viris mammæ atque barba. Hæc recte accommodaveris ad facultatem loquendi, quæ data homini est, quia ad societatem natus: non autem ad hanc aptus est homo, quoniam illam accepit.

§ (3) §

Dirigit logica intellectum, sed ut instrumentum adiuuans, & per regulas certas monstrans viam res cognoscendi. Laertio teste Aristoteles eam sub theoretica philosophia, quæ naturalis ab aliis dicitur, comprehendit: in quantum scilicet non ut instrumentum consideratur, sed est extra materiam omnem. Qua consideratione Arabes, Thomas & alii, logicam vocant *docentem*: sicuti *utentem* appellant, quatenus scientiæ alicui accommodatur & pro instrumento est. Sententiam hanc doctissimus Vossius non damnat simpliciter: potius tamen Græcis accedit, quibus placet logicam considerare, ut est mixta

mixta scientiis, & vt mera est ac per se attenditur. Illic exuta quasi natura sua migrare eam in naturam scientiarum, quibus aptatur: hic negat esse scientiam, nisi tantum causaliter, vt loquuntur, siue ἐπεξηγητικῶς, ac ratione efficientiæ. Potest vero aliquid diuersa ratione *pars & instrumentum* esse: vt apparet in oculis, auribus ac manibus, quæ simul & pars corporis sunt & instrumenta. Sed quidquid est, obseruari meretur clarissimi Scheurlæi monitum Dissert. I. philos. moral. Melius esse disciplinas ipsas accurate perdiscere, quam de nominibus digladiari: hoc est, magno conatu manas nugas agere, & quod puerorum est, frondibus potius delectari, quam fructu: quum verissimum sit quod Plato nos docet in Euthydemo, seu Litigioso: *Homines verborum nimium curiosos res bonas nunquam vel consequi vel asferre.*

F I N I S.



90 A 6406

ULB Halle
002 916 622




3

56

Retro V

VDMA



SOPHIA

enere

V S P I C I I S

DE Q V E

SLEVOGTIO,

RIS AC PHILOS.

A RIO,

tabie

D V S. Kifling/

LVSATVS.

R. cIo Ioc LXXXII.



AE

NISIANIS.